

29. SCEVOLA, lib. 18 Quæstionum.

Si pater captus sit ab hostibus, mox filius, et ibi ambo⁴⁶ decedant: quamvis prior pater decedat, lex Cornelia ad pupilli substitutionem non pertinebit, nisi reversus in civitate impubes decedat: quoniam et si ambo in civitate decessissent, veniret substitutus.

30. JULIANUS, lib. 78 Digestorum.

Quidam testamentum Proculum ex parte quarta, et Quietum ex parte dimidia et quarta heredem instituit: deinde Quietum Florum, Proculo Sosiam heredes substituit: deinde, si neque Florus, neque Sosia heredes essent, tertio gradu ex parte dimidia et quarta coloniam Lepitanorum, [et] ex quarta complures heredes substituit in plures quam tres uncias: Quietus hereditatem adit: Proculus et Sosia vivo testatore decesserunt: quæritur, quadrans Proculo datus ad Quietum an ad substitutos tertio gradu pertineat? Respondi, eam videri voluntatem patrisfamilias fuisse, ut tertio gradu scriptos heredes ita demum substituerit, si tota hereditas vacasset: idque apparere evidenter, ex eo quod plures quam duodecim uncias inter eos distribuisset: et idcirco partem quartam hereditatis, de qua quæritur, ad Quietum pertinere.

31. Idem, lib. singular. de Ambiguitibus.

In substitutione filio ita facta, *Quisquis mihi ex superscriptis heres erit, idem filio heres esto*: quæritur, quisque heres, quandoque fuerit, intellegatur: an quisquis heres tum erit, cum filius moriatur? Placuit prudentibus, si quandoque heres fuisset: quamvis enim vxo pupillo heres esse desisset, forte ex causa de inofficioso, quæ pro parte mota est, futurum tamen eum heredem ex substitutione creditum est. — § 1. Non simili modo in hac specie dicendum est, si quis, cum filios duos haberet, Gaium puberem, Lucium impuberem, ita filio substituisset: *Si Lucius filius meus impubes decesserit, neque mihi Gaius filius heres erit, tunc Seius heres esto*: nam ita prudentes hoc interpretati sunt ut ad impuberis mortem conditio substitutionis esset referenda.

32. Idem, [lib. 1, ad Urseium Ferozem].

Qui complures heredes ex disparibus partibus instituerat, et in his Attium: si Attius non adierit, cæteros ex fisdem partibus, quibus instituerat, heredes ei substituerat: deinde si Attius non dedisset, Titium coheredem eis qui substituti sunt, adiecit; quæsitum est quam partem is, et quam cæteri habituri essent? Respondi, Titium virilem, cæteros hereditarias: veluti si tres fuissent, Titium partem quartam Attianæ partis habiturum, reliquarum partium hereditarias partes, ex quibus instituti erant, reliquos habituros esse. Quod si non solum Titium, sed etiam alios adiecit heredes: hos quidem viriles partes habituros: veluti si tres (puta) coheredes fuissent substituti, extranei duo adiecti, hos quintas partes Attianæ partis, reliquos autem coheredes hereditarias partes habituros esse [dixit].

33. AFRICANUS, [lib. 2 Quæstionum].

Si mater ita testetur, ut filium puberem, cum erit annorum quatuordecim, heredem instituat, eique pupillaribus tabulis, si sibi heres non erit, alium substituat: valet substitutio. — § 1. Si filius, et ex eo nepos posthumus ita heredes instituantur, ut Gallo Aquilio placuit: et nepoti, si is heres non erit, Titius substituat: filio herede existente, Titium omnimodo, id est, etiamsi nepos natus non fuerit, excludi respondit.

34. Idem, [lib. 4 Quæstionum].

Ex duobus impuberibus ei, qui supremus moreretur, heredem substituit: si simul⁴⁷ morerentur, utriusque heredem esse respondit: quia supremus non is demum qui post aliquem, sed etiam post quem nemo sit, intelligatur: sicut et e contrario proximus⁴⁸ non solum is, qui ante aliquem, sed etiam is ante quem nemo sit, intelligitur. — § 1. Filium impuberem et Titium heredes instituit: Titio Mævium substituit: filio *quisquis sibi heres esset* ex superscriptis, substituit: Titius omisit hereditatem, Mævius adit: mortuo deinde filio, putat magis ei soli ex substitutione deferri pupilli hereditatem, qui patris quoque hereditatem adierit. — § 2. Etiamsi contra patris tabulas bonorum possessio petita sit, substitutio tamen pupillaris valet, et legata omnibus præstanda sunt, quæ a substitutione data sunt.

35. Idem, [lib. 5 Quæstionum].

Et si contra tabulas patris petita sit a pupillo bonorum possessio, in substitutum tamen ejus actionem legati dandam esse, ita ut augeatur⁴⁹ præterea: quod filius extraneis non debuerit: sic et crescere a substituto

46. L. 11, § 1, infr. d. t. — 47. L. 42, infr. h. t. L. 9, in pr. infr. de reb. dub. L. 11, in pr. infr. de bonor. posses. secund. tab. — 48. d. L. 9 in pr. L. 1, § 5, infr. unde cognati. L. 92, l. 125 L. 162 in pr. infr. de verb. sign. — 49. § 3, infr. de legat. præstand. — 50. L.

data legata, si per bonorum possessionem plus ad filium pervenisset, quemadmodum et ipse filius plus exceptis deberet. His consequens esse existimo, ut, si impubes ex asse heres scriptus sit, et per bonorum possessionem semis ei ablatus sit, substitutus in partem legati nomine exoneretur: ut quemadmodum portio, quæ per bonorum possessionem accesserit, auget legata, ita et hic, quæ abscesserit, minuat⁵⁰.

36. MARCIANUS, lib. 4 Institutionum.

Potest⁵¹ quis in testamento plures gradus heredum facere: puta, *Si ille heres non erit, ille heres esto*: et deinceps plures: ut novissimo loco in subsidium vel servum necessarium heredem instituat. — § 1. Et vel plures⁵² in unius locum possunt substitui, vel unus in plurium, vel singulis singuli, vel invicem ipsi qui heredes instituti sunt.

37. FLORENTINUS, lib. 10 Institutionum.

Vel singulis⁵³ liberis, vel qui eorum novissimus morietur, heres substitui potest: *singulis*, si neminem eorum intestato decedere velit: *novissimo*, si jus legitimarum hereditatum integrum inter eos custodiri velit.

38. PAULUS, lib. singular. de secundis Tabulis.

Qui plures liberos habet, potest quibusdam substituere: neque utique necesse habet, omnibus: sicuti potest nulli substituere. — § 1. Ergo et ad breve tempus ætatis substituere potest: utputa, *si filius meus intra annum decimum decesserit, Titius mihi heres esto*. — § 2. Ita-que et si diversos substituat post finem ætatis, admittendum erit: veluti, *si intra decimum annum decesserit, Titius heres esto: si post decimum, intra quartumdecimum, Mævius heres esto*. — § 3. Si a patre institutus, rogatusque hereditatem restituere, coactus ex fideicommissario adierit: quamvis cætera, quæ in eodem testamento relicta sunt, per eam aditionem confirmantur, ut legata et libertates: secundas tamen tabulas non oportere rescitari destitit jam jure civili testamento, [Quintus] Cervilius Scævola noster dicebat: sed plerique in diversa sunt opinione: quia et pupillares tabule pars⁵⁴ sunt prioris testamenti: quo jure utimur.

39. JAVOLENUS, lib. 1, ex posterioribus Labeonis.

Cum ex filio quis duos nepotes impuberes habebat, sed alterum eorum in potestate, alterum non, et vellet utrumque ex æquis partibus heredem habere, et, si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem ejus transferre: ex consilio Labeonis, Ofilii, Cascellii, Trebatii, eum, quem in potestate habebat, solum heredem fecit; et ab eo alteri dimidiam partem hereditatis, *cum in suam tutelam venisset*, legavit; quod si is, qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum heredem ei substituit. — § 1. Filio impuberi in singulas causas alium et alium heredem substituere possumus: veluti ut alius, *si sibi nullus filius fuerit*, et alius, *si filius fuerit, et impubes mortuus fuerit*, heres sit. — § 2. Quidam quatuor heredes fecerat, et omnibus heredibus præter unum substituerat: unus ille, cui non erat quisquam substitutus, et ex cæteris alter vivo patrefamilias decesserat: partem cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoque pertinere, Ofilius, Cascellius responderunt: quorum sententia vera est.

40. PAPIANUS, lib. 29 Quæstionum.

Causa cognita impubes adrogatus decesserat: quemadmodum legitimis heredibus auctoritate principali prospicitur vinculo cautionis, ita si forte substituit naturalis pater impuberi, succurrendum erit substituto: nam et legitimis heredibus futuris non aliæ, quam utiles actiones præstari possunt.

41. Idem, lib. 6 Responsorum.

Coheredi substitutus, prius quam hereditatem adiret, aut conditio substitutionis existeret, vita decessit: ad⁵⁵ substitutum ejus, sive ante substitutionem, sive postea substitutus sit, utraque portio pertinebit: nec intererit, prior substitutus post institutum, an ante decedat. — § 1. Ex [his] verbis, *eosque invicem substituo*, non aduentis portio scriptis heredibus pro modo sibi vel alii quæsitæ portionis deferunt. — § 2. Cum filia vel nepoti qui locum filii tenuit, aut post testamentum cepit tenere, parens substituit: si quis ex his mortis quoque tempore non fuit in familia, substitutio pupillaris fit irrita. — § 3. Quod si heredem filium pater rogaverit, *si impubes diem suum obierit Titio hereditatem suam restituere*: legitimum heredem filii, salva Falcidia, cogendum patris hereditatem, ut ab impubere fideicommissio post mortem ejus dato, restituere placuit. Nec aliud servandum, cum substitutionis conditio puberem ætatem verbis precariis egreditur. Que ita locum habebunt; si

ult. in fin. infr. de legat. 3. — 51. Inst. de vulg. subst. in pr. — 52. § 1, Inst. d. t. — 53. § 6, Inst. de pupill. substit. — L. 87, § 2 infr. de legat. 2. — 54. § 5, Inst. de pupill. substit. — 55. L. 27, supr. h. t.

patris testamentum jure valet: alioquin si non, valet, ea scriptura, quam testamentum esse voluit, codicillos non faciet⁵⁶, nisi hoc expressum est. Nec fideicommissio propria⁵⁷ fideicommissi filii tenebuntur. Et ideo si pater filium exheredaverit, et ei nihil reliquerit, nullum fideicommissum erit. Alioquin si legata vel fideicommissa filius acceperit, intra modum eorum, fideicommissum hereditatis a filio datum citra Falcidiam rationem debetur. — § 4. Qui discretas portiones conjunctis pluribus separatim dedit, ac post omnem institutionis ordinem ita scripsit, *quos heredes meos invicem substituo*: conjunctos primo loco vice mutua substituere videtur: quibus institutionum partes non agnoscentibus, cæteros omnes coheredes admitti. — § 5. Qui patrem et filium pro parte heredes instituerat, et invicem substituerat, reliquis coheredibus datis, post completum assem ita scripsit, *hos omnes invicem substituo*. Volentis fit quæstio, commemorazione omnium, patrem et filium substitutioni coheredum miscuisset, an eam scripturam ad cæteros [omnes] transtulisset? Quod magis verisimile videtur, propter specialem inter patrem et filium substitutionem. — § 6. Coheres impuberi filio datus, eidemque substitutus, legata et secundis tabulis relicta perinde præstabit ac si pure partem, et sub conditione partem alteram accepisset. Non idem servabitur alio substituto: nam ille Falcidia rationem induceret, quasi plane sub conditione primis tabulis heres institutus: tametsi maxime coheres filii datus quadrantem integrum obtineret. Nam et cum legatum primis tabulis Titio datur, secundis autem tabulis eadem res Sempronio, Sempronius quoque Titio concurrat. — § 7. Cum pater impuberi filia, quæ novissima diem suum obisset, tabulas secundas fecisset, et impubes filia, superstita sorore pubere, vita decessisset, irritam esse factam substitutionem placuit: in persona quidem prioris, quia non novissima decessit; in alterius vero, quia puberem ætatem complevit. — § 8. Non videri cum vitio factam substitutionem his verbis placuit: *Ille filius meus, si (quod⁵⁸ abominor) intra pubertatis annos decesserit, tunc in locum partemve ejus Titius heres esto*: non magis, quam si post Jemonstratam conditionem sibi heredem esse substitutum jussisset. Nam et qui cæteræ rei heres instituitur, coherede non dato⁵⁹, bonorum omnium hereditatem obtinet.

42. Idem, [lib. 4 Definitionum].

Qui duos impuberes filios heredes reliquerat, ita substituit, *si ambo mortui essent*: deinde pueri post mortem patris simul⁶⁰ perierunt: due hereditates substituto deferuntur. Sed si diversis temporibus vita decedant, in hereditate novissimi pueri, ejus fratris qui ante mortuus est, hereditatem substitutus inveniet: sed in ratione Falcidiae, pueri prioris⁶¹ hereditas non veniet: nec substitutus amplius quam secunciam jure testamenti desiderabit: legata quoque, quæ a substituto ejus filii data sunt qui prior intestato decessit, ad irritum recidunt.

43. PAULUS, [lib. 9 Quæstionum].

Ex facto quæritur: Qui filium habebat mutum puberem, impetravit a principe, ut mutus substituere ei liceret, et substituit Titium: mutus⁶² duxit uxorem post mortem patris, et nascitur ei filius: quæro, an rumpatur testamentum? Respondi: Beneficia⁶³ quidem principalia ipsi principes solent interpretari: verum voluntatem principis insipientibus, potest dici, eatenus id eum tribuere voluisse, quatenus filius ejus in eadem valetudine perseverat: [et] ut quemadmodum jure civili pubertate finitur pupillare testamentum, ita principes imitatus sit jus in eo, qui propter infirmitatem non potest testari. Nam et si furiosus⁶⁴ filio substituisset, diceremus desinere valere testamentum, cum respisset: quia jam posset sibi testamentum facere: etenim iniquum incipit fieri beneficium principis, si adhuc id valere dicamus: auferret enim testamenti factionem homini sana mentis. Igitur etiam agnatione⁶⁵ sui heredis dicendum est rumpi substitutionem: quia nihil interest, alium heredem institueret ipse filius postea, an jure habere cepit suum heredem: nec enim aut patrem aut principem de hoc casu cogitasse verisimile est, ut eum qui postea nasceretur, exheredaret. Nec interest, quemadmodum beneficium principale intercedat circa testamenti factionem, utrum in personam unius, an complurium. — § 1. Item quæro: si ita facta ponatur substitutio, *filius meus si intra⁶⁶ decem annos decesserit, Titius heres esto: si intra quatuordecim, Mævius*: filiusque octo annorum decesserit: utrum Titius solus ex substitutione ei heres erit, an et Mævius: quia certum est et intra decem et intra quatuordecim annos filium decessisse? Respondi, omne quidem spatium, quod est intra pubertatem,

56. L. 8, § 1, C. de codicill. — 57. L. 17, § 2, infr. ad SC. Trebell. — 58. L. 4, C. de impub. et aliis substit. — L. 85, supr. de hered. instit. — 59. L. 2, § 2, infr. de bonor. posses. secund. tab. — 60. L. 34, in pr. supr. h. t. — 61. L. 14, § 2, infr. ad leg. Falcid. — 62. L. 73, in pr. supr. de jure dot. — 63. L. 191, in fin. infr. de reg. jur. — 64. L. 9, C. de impub. et aliis

liberum esse patri ad substituendum filio, sed finis hujus pubertas est: magis autem est, in utroque eorum tempus suum separatim servari: nisi contraria voluntas testatoris aperte ostendatur. — § 2. Lucius Titius, cum haberet filios in potestate, uxorem heredem scripsit, et ei substituit filios: quæsitum est, an institutio uxoris nullius momenti sit, eo quod ab⁶⁷ eo gradu filii non essent exheredati? Respondi, eum gradum, a quo filii præteriti sint, nullius esse momenti: et ideo, cum iidem substituti proponantur, ex testamento eos heredes existisse videri: scilicet quia non totum testamentum infirmant filii, sed tantum eum gradum, qui ab initio non valet: sicut responsum est, si a primo sit filius præteritus, a secundo exheredatus: nihil autem interest, qua ratione secundi heredis institutio valeat: utrum quia ab eo filius exheredatus est, an quia ipse filius substitutus est. — § 3. Julius Longinus pater eos, quos sibi heredes instituerat, filio ita substituit, *quisquis sibi heres esset*: unus ex heredibus institutis, qui tacitam fidem accommodaverat, ut non capientem partem ex eo, quod acceperat, daret, ad substitutionem impuberis admissus, utrum pro ea parte, pro qua scriptus fuit, veniat; an vero pro ea quam cepit, ita ut augeatur ejus pars in substitutione? Respondi: Qui in fraudem legum fidem accommodat, adeundo heres efficitur: nec desinet heres esse, licet res quæ [ita] relictae sunt, auferantur. Unde et ex secundis tabulis in tantum heres esse potest, in quantum scriptus esset: satis enim punitus est in eo, in quo fecit contra leges. Quinimo, etsi desinere heres esse, idem dicerem: quemadmodum intellegendum est in eo, qui, cum scriptus esset heres, postquam adisset hereditatem in servitutem redactus est, et postea libertate donatus: cui permissum est ad substitutionem venire, quæ ei in testamento fuerat relicta: licet enim hereditatem ex institutione amisit, tamen ex substitutione istam portionem, quantum amisit, percepturum.

44. Idem, [lib. 10 Quæstionum].

Ex pupillari testamento superius principale neque ex parte neque in totum confirmari posse, Mæcianus scripsit.

45. Idem, [lib. 12 Responsorum].

Lucius Titius legitimum filium, et alterum⁶⁸ naturalem heredes instituit: eosque invicem substituit. Titianus legitimus filius, quem pater anniculum reliquit, post patris mortem impubes decessit superstita matre, et fratre naturali, quem etiam coheredem habebat: quæro [an] hereditas ejus ad Titium naturalem fratrem ex causa substitutionis pertineat, an vero ad matrem? Respondi: ad primum casum non existentium heredum, substitutionem, de qua quæritur, pertinere: non ad sequentem, si quis eorum postea decessisset intra pubertatem: cum in naturalis filii persona duplex substitutio locum habere non poterit: et ideo ad matrem legitimi filii hereditas ab intestato pertinet. — § 1. Paulus respondit, si omnes instituti heredes omnibus invicem substituti essent, ejus portionem, qui quibusdam defunctis postea portionem suam repudiavit, ad eum⁶⁹ solum, qui eo tempore supervixit, ex substitutione pertinere.

46. Idem, [lib. 15 Responsorum].

Paterfamilias primis tabulis posthumo herede instituto, secundis sibi vel filio, si intra pubertatem decessisset, Gaium Seium fratrem suum substituit, deinde Titium Gaius Seio: et postea sic dixit: *quod si Gaius Seius frater meus primo loco substitutus, heres mihi esset, tunc Titio fideicommissum relinquo*: quæro, cum filius patri heres extiterit, eoque intra pubertatem mortuo frater testatoris ex substitutione heres sit, an fideicommissum debeatur, cum ita relictum sit: *Si Gaius Seius frater suus sibi heres extitisset*? Respondi, fratrem defuncti, qui in utroque casum [institutus vel] substitutus est, filio impubere defuncto, ea, qua testator reliquit, præstare debere: nec adversari hæc verba, *quod si Gaius Seius mihi heres erit, tu c dari volo*; cum verum sit, eum et testatoris heredem extitisse.

47. SCEVOLA, [lib. 2 Responsorum].

Qui habet filium et filiam impuberes, instituto filio herede, filiam exheredavit: et, *si filius intra pubertatem decessisset*, filiam eidem substituit: sed filia, si, antequam nubere, decessisset, uxorem suam, item sororem suam substituit: quæro cum filia impubes prior decesserit, deinde frater ejus impubes, an filii hereditas ad uxorem et sororem testatoris jure substitutionis pertineat? Respondi, secundum ea quæ proponerentur, non pertinere.

substit. — 65. L. 102, infr. de condit. et demonstr. — L. 6, C. de instit. et substit. — 66. L. 35, § 2, supr. h. t. — L. 2, § 3, infr. de bonor. posses. secund. tab. — 67. L. 3, in fin. supr. de liber. et postum. — 68. L. 4, § ult. supr. h. t. — 69. L. 81, infr. de acquir. vel omitt. hered.

48. *Idem*, [lib. singulari Quæstionum publice tractatarum].

Servum communem habemus: hic heres scriptus est: et, si heres non sit, Mævius illi substitutus est: alterius jussu dominorum alit hereditatem, alterius non: queritur, an substituto locus sit, an non? Et verius est, substituto locum esse⁷⁰. — § 1. Titius heres esto: Stichum Mævio do lego: Stichus heres esto: Si Stichus heres non erit, Stichus liber heresque esto. In hac quæstione in primis querendum est, utrum unus gradus sit, an duo: et an causa mutata sit substitutionis, an eadem permaneat. Et quidem in perisque queritur, an ipse sibi substitui possit? Et responderetur, causa institutionis mutata⁷¹ substitui posse. Igitur si Titius heres scriptus sit, et si heres non sit, idem heres jussus sit, substitutio nullius momenti erit: sed si sub conditione quis heres scriptus sit, pure autem substitutus [est] causa immutatur, quoniam potest ex institutione defici conditio, et substitutio aliquid adferre: sed si existerit conditio, duæ puræ sunt, et ideo nullius momenti erit substitutio: contra si pure quis instituitur, deinde sub conditione sibi substituitur, nihil⁷² facit substitutio conditionalis: nec mutata intellegatur: quippe cum, [et] si existerit conditio, duæ puræ sunt institutiones. Secundum hæc proposita quæstio manifestetur, Titius heres esto: Stichum Mævio do lego: Stichus heres esto: si Stichus heres non erit, Stichus liber heresque esto. Nos didicimus, quoniam eodem testamento et legatus sit Stichus et libertatem accepit, prævalere⁷³ libertatem: et si prævalet libertas, non debet legatum, et ideo jussu legatarii non posse adire hereditatem: ac per hoc verum esse, Stichum heredem non esse: et ex sequentibus verbis libertatem illi competere, cum unus gradus videtur. Quid ergo, si non adierit Titius? Incipiet substitutione Stichus liber et heres esse: porro, quamdiu non adit jussu legatarii, nec ex causa legati intellegitur legatarii esse effectus: et ideo certum est, illum heredem non esse: ac per hoc ex his verbis, si heres non erit, Stichus liber heresque esto, liber et heres existit. Hoc autem, quod sentimus, Julianus quoque in libris suis probat. — § 2. Si pupillus substitutum sibi servum alienaverit, eumque emptor liberum heredemque instituerit: numquid iste in substitutione habeat substitutus universum? Etsi quidem pupillus ad pubertatem pervenerit, necessarius⁷⁴ ex testamento emptoris heres existit: sin vero intra pubertatem decesserit, ex substitutione quidem liber et heres fit, et necessarius patri pupilli; emptori autem voluntarius⁷⁵ heres existit.

TIT. VII.

DE CONDITIONIBUS INSTITUTIONUM.

1. ULPIANUS, [lib. 8, ad Sabinum].

Sub impossibili¹ conditione vel alio mendo factam institutionem placet non² vitari.

2. *Idem*, lib. 6, ad Sabinum.

Si testamento comprehensum sit, ille servus, si meus erit, aut qui meus erit, cum moriar, heres esto: quatenus accipiatur meus⁴, queritur? Et si quidem alienavit in eo usum fructum, nihilominus ipsius est: si vero partem in eo alienavit, an deficiat conditio institutionis, queritur? Et verius est, non defecisse conditionem, nisi⁵ evidentissimis probationibus testatorem voluisse apparuerit, pro hac conditione hæc verba inseruisse, si totus servus in dominio ejus remanserit: tunc enim parte alienata, conditio deficit. — § 1. Sed si duo servi ita sint heredes instituti, Primus et secundus, si mei erunt, cum moriar, liberi et heredes sunt, et alter ex his sit alienatus, Celsus recte putat, sic accipiendum, atque si singulos separatim sub eadem conditione heredes instituisset.

3. PAULUS, [lib. 1, ad Sabinum].

Si ita heres institutus sim, si decem dederò: et accipere nolit⁶, cui dare jussus sum, pro impleta conditione habetur.

4. ULPIANUS, [lib. 8, ad Sabinum].

Si qui ita sint instituti: Si socii una bonorum meorum permanserint usque ad annos sedecim, heredes sunt: inutilem esse institutionem secundum verborum significationem, Marcellus ait: Julianus autem,

70. Vide tamen L. 65, infr. d. t. — 71. L. 10, in fin. supr. h. t. — 72. L. 27, supr. de hered. instit. — 73. L. 14, in pr. infr. de legat. 2. L. 10, in fin. infr. de manumiss. testam. — L. 50, infr. de fideicommiss. libert. — L. 20, infr. de reg. jur. — 74. L. 71, § 1, infr. de acquir. vel omitt. hered. — 75. L. 54, in fin. supr. de hered. instit. — Tit. VII. — § 1. Lib. 6, C. 25. — § 2. L. 5, infr. de condit. et demonstr. — § 10, Inst. de hered. instit. — § 3. Erip. L. 16, infr. h. t. — § 4. L. 85, infr. de legat. 3. — § 5. L. 68, § 2, infr. d. t. — § 6. L. 24, infr. de condit. et demonstr. — L. 161, infr. de reg. jur. — § 7. § 11, Inst. de hered.

quoniam et ante habitam hereditatem iniri societas potest, quasi rei futura, valere institutionem: quod est verum. — § 1. Idem Julianus scribit, eum, qui ita heres institutus est, si servum hereditarium non alienaverit, caventem coheredi implere conditionem: cæterum, si solus heres scriptus sit, sub impossibili conditione heredem institutum videri: quæ sententia vera est.

5. PAULUS, [lib. 2, ad Sabinum].

Si heredi plures⁷ conditiones conjunctim datæ sint, omnibus parendum est: quia unus loco habentur: si disjunctim⁸ sint, cuilibet.

6. ULPIANUS, [lib. 9, ad Sabinum].

Si quis ita institutus sit, si monumentum post mortem testatoris in triduo proximo mortis ejus fecisset: cum monumentum in triduo perfici non possit, dicendum erit, conditionem evanescere, quasi impossibilem⁹.

7. POMPONIUS, [lib. 8, ad Sabinum].

Si quis sub conditione heredes instituisset, si invicem cavissent, se legata eo testamento relicta reddituros: placet, remitti eis conditionem: quia ad fraudem legum respicerent, quæ vetarent quosdam legata capere: quamquam [et] si cautum esset in ipsa actione, exceptione¹⁰, tuendus esset promissor.

8. ULPIANUS, [lib. 80, ad Edictum].

Quæ sub conditione jurisjurandi¹¹ relinquuntur, a prætoribus reprobantur: providit enim ne is, qui sub jurisjurandi conditione quid accipit, aut omitendo conditionem, perderet hereditatem, legatumve, aut cogere turpiter accipiendi conditionem jurare: voluit ergo, eum, cui sub jurisjurandi conditione quid relictum est, ita capere, ut capiant hi, quibus nulla talis jurisjurandi conditio inseritur: et recte. Cum enim faciles sint nonnulli hominum ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi¹² metu divini numinis usque ad superstitionem, ne vel hi vel illi aut consequerentur aut perderent quod relictum est, prætor consultissime intervenit. Etenim potuit is, qui voluit factum, quod religionis conditione adstringit, sub conditione faciendi relinquere: ita enim homines aut facientes admitterentur, aut non facientes deficerentur conditione. — § 1. Hoc edictum etiam ad legata pertinet, non tantum ad heredem institutionem. — § 2. In fideicommissis quoque oportebit eos, qui de fideicommissis cognoscunt, subsequi prætoris edictum, ea propter, quia vice legatorum funguntur. — § 3. Et in mortis causa donationibus dicendum est edicto locum esse: si forte quis caverit, nisi jurasset se aliquid facturum, restitutum quod accepit: oportebit itaque remitti cautionem. — § 4. Si quis sub jurisjurandi conditione, et præterea¹³ sub alia sit institutus: huic videndum est an remittatur conditio: et magis est, ut remitti jurisjurandi conditio debeat, licet alii conditioni parendum habeat. — § 5. Sed si sub jurisjurandi conditione sit institutus, aut si decem [millia] dederit, hoc est, alternata conditione, ut aut pareat conditioni, aut juret: aliud quid videndum, numquid remitti ei conditio non debet, quia potest alteri conditioni parendo, esse securus: sed est verius, remittendam conditionem: ne alia ratione conditio alia eum urgeat ad jusjurandum. — § 6. Quotiens heres jurare jubetur, datum se aliquid, vel facturum, quod non improbum est, actiones hereditarias non alias habebit, quam¹⁴ si dederit, vel fecerit id, quod erat jussus jurare. — § 7. Mortuo¹⁵ autem vel manumisso Stichum, vivo testatore, qui ita heres institutus est, si jurasset se Stichum manumissurum, non videbitur defectus conditio [heres]: quavis verum sit, compellendum eum manumittere, si viveret. Idem est, et si ita heres institutus esset quis, Titius heres esto, ita ut Stichum manumittat: aut, Titio centum ña lego, ut Stichum manumittat. Nam mortuo Stichum nemo dicit summovendum eum: non videtur enim defectus conditio, si parere conditioni non possit, implenda est enim voluntas, si potest. — § 8. De hoc jurisjurando remittendo non est necesse adire prætorem: semel enim in perpetuum a prætoribus remissum est, nec per singulos remittendum. Et idcirco, ex quo dies legati cesserit, remissum videtur, etiam ignorante scripto herede. Ideoque in herede legatarii recte probatur, ut post diem legati cedentem, si decesserit legatarius, debeat heres ejus actione de legato uti, quasi pure legato relicto ei, cui heres existit.

instit. — L. 15, § 2, infr. de reb. dub. — L. 129, infr. de verb. oblig. — § 8. L. 78, in fin. infr. de condit. et demonstr. — § 9. L. 3, infr. d. t. — § 10. L. 1, § 14, in fin. infr. de legatario. — § 11. L. 29, § 1, infr. de testam. milit. — L. 112, in fin. infr. de legat. 1. — L. 20, infr. de condit. et demonstr. — § 12. L. 2, infr. de testam. milit. — C. de fide instrum. — § 13. L. 26, in pr. infr. de condit. et demonstr. — § 14. L. 11, § 1, infr. de legat. 3. d. L. 26, § 2, infr. d. t. — § 15. L. 6, in fin. infr. de condit. et demonstr.

9. PAULUS, [lib. 45, ad Edictum].

Conditiones, quæ contra bonos¹⁶ mores inseruntur, remittendæ sunt, veluti si ab hostibus patrem suum non redemerit¹⁷, si parentibus suis patronove alimenta non præstiterit.

10. ULPIANUS, [lib. 8 Disputationum].

Institutio talis, Si codicillis¹⁸ Seium heredem scripsero, heres esto, non est inutilis in quovis herede instituto, præter filium: est enim conditionalis institutio, nec videtur hereditas codicillis¹⁹ data, quod interdictum est: verum conditionalis est hæc institutio, quæ testamento data esset. Proinde et si ita scriperit, Cujus nomen codicillis scripsero, ille mihi heres esto: pari ratione dicendum erit institutionem valere, nullo jure impediente. — § 1. Si quem ita institutum ponamus, Ille, si eum codicillis heredem scripsi, heres esto: valet institutio, etiam in filio, qui in potestate est: cum nulla sit conditio²⁰ quæ in præteritum confert, vel quæ in præsens: veluti, Si rex Parthorum vivit: Si navis in portu stat.

11. JULIANUS, [lib. 29 Digestorum].

Si quis testamento hoc modo scripserit, filius meus, si Titium adoptaverit²¹, heres esto; si non adoptaverit, exheres esto; et filio parato adoptare, Titius nolit²² se adoptandum dare: erit filius heres, quasi expleta conditione.

12. HERMOGENIANUS, [lib. 3 juris Epitomarum].

Verba hæc, Publius Mævius, si volet, heres esto, in necessario²³ conditionem faciunt, ut, si nolit, heres non existat: [nam] in²⁴ voluntaria heredis persona adduntur: cum et si non fuerint addita, in vitus non efficitur heres.

13. JULIANUS, [lib. 50 Digestorum].

Ei, qui ita hereditatem vel legatum accepit, si decem dederit, neque hereditas neque legatum aliter acquiri potest, quam si post impletam conditionem id egerit scriptus heres, vel legatarius, per quod hereditas aut legatum acquiri solet.

14. MARCIANUS, [lib. 4 Institutionum].

Conditiones contra edicta²⁵ imperatorum, aut contra leges, aut quæ legibus vicem obtinent, scriptæ, vel quæ contra bonos mores, vel derisorie sunt, aut hujusmodi, quas prætores improbaverunt²⁶, pro non scriptis habentur: et perinde, ac si conditio hereditati sive legato adjecta non esset, capitur hereditas, legatumve.

15. PAPINIANUS, [lib. 16 Quæstionum].

Filius qui fuit in potestate, sub conditione scriptus heres, quam senatus aut princeps improbat²⁷, testamentum infirmet²⁸ patris, ac si conditio non esset in ejus potestate: nam quæ facta hædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et [ut generaliter dixerim] contra bonos mores sunt: nec facere nos posse credendum est.

16. MARCIANUS, [lib. 4 Institutionum].

Si Titius heres erit, Seius heres esto: si Seius heres erit, Titius heres esto: Julianus inutilem²⁹ esse institutionem [scribit], cum conditio existere non possit.

17. FLORENTINUS, [lib. 10 Institutionum].

Si plures institutiones ex eadem parte sub diversis conditionibus fuerint: conditio, quæ prior existerit, occupabit institutionem.

18. MARCIANUS, [lib. 7 Institutionum].

Cum³⁰ servus pure liber, et heres scriptus sub conditione sit; et si heres non existerit, legatum acceperit: in legato repetitum videri conditionem, divus Pius rescripsit. — § 1. Hac ratione et Papiinianus scribit, cum avia³¹ nepotem sub conditione emancipationis pro parte heredem instituit, et postea codicillis scriptis hoc amplius ei legavit, quam quod heredem eum instituit, repetitum videri conditionem emancipationis etiam in legato, quamvis in legato nullam, ut in hereditate, substitutionem fecisset.

19. *Idem*, [lib. 8 Institutionum].

Si ita scriptum fuerit, Titius heres esto: si Titius heres erit, Mævius heres esto: si Titius suspectam adierit hereditatem, potest Mævius suo arbitrio adire, et quartam retinere.

16. L. 14, L. 15, infr. h. t. — L. 29, § 2, in fin. infr. de testam. milit. — L. 2, § 44, infr. ad SC. Tertul. — 17. Erip. L. 75, in fin. supr. de jure dot. — 18. L. 38, infr. de condit. et demonstr. — 19. L. 76, infr. ad SC. Trebell. — 20. L. 60, infr. de condit. et demonstr. — L. 120, infr. de verb. oblig. — 21. L. 41, § 8, infr. de legat. 3. — 22. L. 45, infr. de condit. et demonstr. — 23. L. 69, L. 86, supr. de hered. instit. — 24. d. L. 69. — 25. L. 9, supr. h. t. — L. un. C. de his, qui pœn. nom. — 26. L. 15, infr. h. t. — 27. L. 14, supr. cod. — 28. Vide tamen L. 3, infr. de condit. et demonstr. — 29. L. 188, in pr. infr. de reg. jur. — 30. L. 77, in fin. pr. infr. de condit. et demonstr. — 31. d. L. 77, in pr. — 32. L. 7, § 1, infr. de condit. et demonstr. — 33. L. 23

20. LABEO, [lib. 2 posteriorum a Javoleno Epitomatorum].

Mulier, quæ viro suo ex dote promissam pecuniam debebat, virum heredem ita instituerat³², si eam pecuniam, quam dote promisisset, neque petisset, neque exegisset: puto, si vir denuntiasset cæteris heredibus, per se non³³ stare, quo minus acceptum faceret id, quod ex dote sibi deberetur, statim eum heredem futurum. Quod si solus heres institutus esset in tali conditione: nihilominus puto statim eum heredem futurum: quia ad³⁴ v³⁵z³⁶, id est, impossibilis, conditio pro non scripta accipienda est. — § 1. Si quis hereditariam servum jussus est manumittere, et heres esse: quamvis, si manumiserit, nihil agat, tamen heres erit: verum est enim eum manumisisse: sed post aditionem, libertas servo data, secundum voluntatem testatoris convalescit. — § 2. Si quis te heredem ita instituit, si se heredem instituissem, aut quid sibi legasset: nihil³⁵ interest, quo gradu is a te heres institutus, vel quid ei legatum sit: dummodo aliquo gradu id te fecisse probes.

21. CELSUS, lib. 16 Digestorum.

Servus alienus ita³⁶ heres institui potest, cum liber erit: proprius autem ita institui non potest.

22. GAIVS, [lib. 18, ad Edictum provinciale].

Quia ratio suadet, eum, qui libertatem dare potest, ipsum debere aut presentis die, aut in diem, aut sub conditione dare libertatem: nec habere facultatem, in casum a quolibet obvientis libertatis heredem instituire.

23. MARCELLUS, [lib. 12 Digestorum].

Uter ex fratribus meis consobrinam nostram duxerit³⁷ uxorem, ex doctante; qui non duxerit, ex qua drante heres esto: aut nubit alteri, aut non vult nubere: consobrinam qui ex his duxit [uxorem], habebit doctantem: erit alterius quadrans: si neuter eam duxerit uxorem, non quia ipsi ducere noluerunt, sed quia illa nubere noluerit, ambo in partes æquales admittuntur: plerumque enim hæc conditio, si uxorem duxerit, si dederit, si fecerit, ita accipi oportet, quod³⁸ per eum non stet, que minus ducat, det, aut faciat.

24. PAPINIANUS, [lib. 6 Responsorum].

Qui ex fratribus meis Titiam consobrinam uxorem duxerit, ex besse heres esto: qui non duxerit, ex triente heres esto: vivo testatore consobrina defuncta, ambo ad hereditatem venientes semisses habebunt: quia verum est, eos heredes institutos, sed emolumento portioium eventu nuptiarum discretos.

25. MODESTINUS, [lib. 9 Regularum].

Sub conditione heres institutus servus, sine jussu domini conditioni parere [non] potest³⁹.

26. POMPONIUS, [lib. 2, ad Quintum Mucium].

Si pupillus sub conditione heres institutus fuerit, conditioni etiam sine⁴⁰ tutoris auctoritate parere potest. Idemque [est] et si legatum ei sub conditione relictum fuerit: quia conditio expleta, pro eo est, quasi pure ei hereditas vel legatum relictum sit.

27. MODESTINUS, [lib. 8 Responsorum].

Quidam in suo testamento heredem scripsit sub tali conditione, si reliquias ejus in mare abjiciat: quærebatur, cum heres institutus conditioni non paruisset, an expellendus est ab hereditate? Modestinus respondit: Laudandus est magis, quam accusandus heres, qui reliquias testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem abjecit: sed memoria humana conditionis, sepultura tradidit. Sed hoc prius inspicendum est, ne homo, qui talem conditionem posuit, neque compos mentis esset. Igitur si perspicuis rationibus hæc suspicio amoveri potest, nullo modo legitimus heres de hereditate controversiam facit scripto [heredi]. — § 1. Heredi, quem testamento pure instituit, codicillis scripsit conditionem: quæro, an ei parere necesse habeat? Modestinus respondit: Hereditas⁴¹ codicillis neque adiri potest: porro in defectu conditionis de ademptione hereditatis cogitasse intellegitur.

28. PAPINIANUS, [lib. 15 Quæstionum].

Si filius sub conditione heres erit, et nepotes ex eo substituantur; cum non sufficit, sub qualibet conditione filium heredem institui, sed ita demum testamentum ratum est, si⁴² conditio fuit in filii potestate: con-

in fin. infr. h. t. — 34. L. 3, infr. de condit. et demonstr. — 35. L. 29, supr. de hered. instit. — 36. L. 9, § 14, L. 51, in pr. supr. et Inst. de hered. instit. in pr.; § 1, Inst. qui testam. tut. — 37. L. 24, infr. h. t. — L. 2, § 6, infr. de honor. possess. secund. tab. — 38. L. 20, in pr. supr. h. t. — L. 29, § 1, infr. de legat. 1. — L. 14, L. 24, L. 40, in pr.; L. 57, in fin.; L. 78, in pr. infr. de condit. et demonstr.; L. 39, L. 161, infr. de reg. jur. — 39. Obat. L. 5, § 1, infr. de condit. et demonstr. — 40. d. L. 5, in pr. — 41. L. 2, § 2, Inst. de codicill. — 42. L. 4, supr. de hered. instit.

sideremus nunquid intersit, quæ conditio fuerit adscripta? Utrum quæ moriente 45 filio impleri non potuit (veluti si Alexandriam ierit filius, heres esto, isque Romæ decessit): an vero quæ potuit 44 etiam extremo vitæ momento impleri (veluti, si Titio decem dederit, filius heres esto)? quæ conditio nomine filii per 45 alium impleri potest. Nam superior quidem species conditionis admittit vivo filio nepotes ad hereditatem: qui, si neminem substitutum haberet, dum moritur, legitimus patri heres extiterit: argumentoque est, quod apud Servium quoque relatum est: quendam enim refert ita heredem institutum, si in Capitolium ascenderit; quod si non ascendisset, legatum ei datum; eumque, antequam ascenderet, mortem obisse: de quo respondit Servius conditionem morte defecisse; ideoque, moriente eo legati diem cessisse. Altera vero species conditionis vivo filio non admittit nepotes ad hereditatem, qui, substituti si non essent, intestato avo heredes existerent: neque enim filius videretur obstitisse, post cuius mortem patris testamentum destituitur 46: quemadmodum si, exheredato eodem filio, nepotes, cum filius moretur, heredes fuissent instituti.

TIT. VIII.

DE JURE DELIBERANDI.

1. ULPIANUS, [lib. 60, ad Edictum.]

Si servus fuerit heres institutus: utique non ipsi præstitimus tempus ad deliberandum, sed ei, cuius servus est: quia pro 2 nullo isti habentur apud prætorem: itemque si plurium servus sit, utique omnibus dominis præstituemus. — § 1. Ait prætor, si tempus ad deliberandum petet, dabo. — § 2. Cum dicit tempus, nec adjicit diem, sine dubio ostendit, esse in jus dicentis potestate, quem diem præstituat 3.

2. PAULUS, [lib. 87, ad Edictum.]

Itaque pauciores centum dierum non sunt dandi.

3. ULPIANUS, [lib. 60, ad Edictum.]

Necnon illud sciendum, nonnunquam semel, nonnunquam sæpius 4 diem ad deliberandum datum esse, dum prætor suadet, tempus, quod primum aditus præstituerat, non sufficisse.

4. Idem, [lib. 61, ad Edictum.]

Sed hoc impetrari non debet, nisi ex magna causa.

5. Idem, [lib. 70, ad Edictum.]

Aristo scribit, non solum creditoribus, sed et heredi instituto prætorum subvenire debere: hisque copiam instrumentorum 5 inspicendorum facere, ut perinde instruere se possint, expedit, necne, agnoscere hereditatem. — § 1. Si major sit hereditas et deliberat heres, et res sunt in hereditate, quæ ex tractu temporis deteriores fiunt: adito prætore potest is, qui deliberat, sine præiudicio eas justis pretiis vendere 6: qui possit etiam ea, quæ nimium sumptuosa sint, veluti iumenta, aut venalia, item ea, quæ mora deteriora fiant, vendere: quique præterea curaturus sit, ut æs alienum, quod sub pœna, vel sub pretiosis pignoriibus 7 debeat, solvatur.

6. GAIVS, [lib. 25, ad Edictum provinciale.]

Igitur siquidem in hereditate sit vinum, oleum, frumentum, numerata pecunia, inde fieri debent impendia 8: si minus, a debitoribus hereditariis exigenda pecunia. Quod si nulli sunt debitores, aut iudicem provocent: venire debent res supervacua.

7. ULPIANUS, [lib. 60, ad Edictum.]

Ait prætor: Si pupilli, pupillæ, nomine postulabitur tempus ad deliberandum, an expediat, eum hereditatem retinere, et hoc datum sit: si justa causa esse videbitur, bona interea deminui, nisi si causa cognita boni viri arbitrato, vetabo. — § 1. Merito prætor impedit interim deminutionem, quandiu nomine pupilli petitur tempus ad deliberandum. — § 2. Quid sit autem deminui vetabo, videamus? His verbis prætor non tantum alienationem impedit: verumetiam actiones exerceri non patitur: est enim absurdum, ei cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere. Et ita Labeo scribit. — § 3. In causa autem cognitione hoc vertetur, an justa causa sit, ut deminueret prætor permittat.

45. L. 5, supr. d. t. — 44, d. L. 5, in fin. — 45. L. 15, in fin. supr. de statu homin. — 46. § 7, Inst. de hered. que ab intest. — Tr. VIII. — 1. Lib. 6, C. So. — 2. L. 3, supr. de capite minut. — L. 5, infr. de reg. jur. — 3. L. 9, in fin. C. h. t. — 4. Inno vide l. ult. § 15, in fin. C. eod. — 5. L. 28, infr. de acquir. vel omitt. hered. — 6. L. 5, in pr. supr. de hered. petit. — 7. L. 7, in fin. infr. h. t. — 8. Adde L. ult. § 4, C. de bon. que liber. — 9. L. 5, in pr. supr. de hered. petit. — 10. L.

Ergo et funeris 9 causa deminui permittit. Item eorum, quæ sine piaculo non possunt præteriri. Vescendi 10 gratia æque deminui permittit. Sed et ubi urget, ex aliis quoque causis permittit eum oportet: ut adificia sarciantur; ne agri inculti sint; si qua pecunia sub pœna debeat, ut restituatur; ne pignora 11 distrahantur. Ex aliis quoque justis causis prætor aditus deminutionem permittit: neque enim sine permissu ejus debet deminutio fieri.

8. Idem, [lib. 61, ad Edictum.]

Si quis suus heres, posteaquam se abstinerit, tunc petat tempus ad deliberandum: videamus an impetrare debeat: magisque est, ut ex causa debeat impetrare, cum nondum 12 bona venerint.

9. PAULUS, [lib. 58, ad Edictum.]

Filius, dum deliberat, alimenta habere debet ex hereditate 13.

10. MARCELLUS, [lib. 28 Digestorum.]

Si plures gradus 14 sint heredum institutorum, per singulos observatum se ait prætor id, quod præiniendo tempore deliberationis edicit: videlicet ut a primo quoque ad sequentem translata hereditate, quamprimum inveniatur successorem, qui possit defuncti creditoribus respondere.

11. JAVOLENUS, [lib. 4, ex posterioribus Labeonis.]

Qui filium libertinum habebat, heredem eum instituerat: deinde ita scripserat: si mihi filius nullus erit, qui in suam 15 tutelam veniat: tum Dama servus liber esto: is filius pupillus libertinus erat. Quærebatur, si Dama liber esset: Trebatius negat, quia filii appellatio libertinus quoque contineretur. Labeo contra: quia eo loco verum filium accipi oportet. Trebatii sententiam probo: si tamen testatorem de hoc filio locutum esse apparet.

LIBER VICESIMUSNONUS.

TIT. I.

DE TESTAMENTO MILITIS.

1. ULPIANUS, [lib. 48, ad Edictum.]

Militibus liberam testamenti factionem primus quidem divus Julius Cæsar concessit: sed ea concessio temporalis erat. Postea vero primus divus Titus dedit. Post hoc Domitianus. Postea divus Nerva plenissimam indulgentiam in milites contulit: eamque et Trajanus secus est: et exinde mandatis inseri cœpit caput tale. [Caput ex mandatis]: Cum in notitiam meam prolatum sit, subinde testamenta [a] commilitonibus relicta proferri, quæ possint in controversiam deduci, si ad diligentiam legum revocentur et observantiam: secutus animi mei inægritudinem erga optimos fidelissimosque commilitones, simplicitati eorum consulendum existimavi: ut quoquo modo 2 testati fuissent, rata esset eorum voluntas. Faciant igitur testamenta, quomodo volent: faciant, quomodo poterint: sufficiatque ad bonorum suorum divisionem faciendam nuda 3 voluntas testatoris. — § 1. Miles autem appellatur, vel a militia, id est, duritia, quam pro nobis sustinent, aut a multitudine: aut a malo, quod arcere milites solent: aut a numero mille hominum, ductum a græco verbo, tractum a tagmate: nam Græci mille hominum multitudinem τάγμα appellant, quasi millesimum quemque dictum, unde ipsum ducentem χίλιαρχον appellant. Exercitus autem nomen ab exercitatione traxit.

2. GAIVS, lib. 48, ad Edictum provinciale.

De militis testamento ideo separatim proconsul edicit, quod optime novit, ex constitutionibus principalibus propria atque singularia jura in testamenta eorum observari.

3. ULPIANUS, [lib. 2, ad Sabinum.]

Si miles, qui destinaverat communi jure testari, ante defecerit, quam testaretur: Pomponius dubitat. Sed cur non in milite diversum probet?

9, infr. h. t. — 11. L. 5, in fin. supr. eod. — 12. L. 6, in fin. infr. de optione legat. — L. ult. C. de repud. vel. abst. hered. — 13. L. 7, § 2, ult. supr. h. t. — 14. L. 69, infr. de acquir. vel omitt. hered. — 15. L. 50, in pr. infr. de legat. 3. — Tr. I. — 1. Lib. 6, C. 21, et 3, Inst. 11. — 2. Inst. de milit. test. in pr. — 3. L. 15, § 1, infr. h. t.

neque enim, qui voluit jure communi testari, statim beneficio militari renunciavit: nec credendus est quisquam genere testandi eligere ad impugnanda sua judicia: sed magis utroque genere voluisse propter fortuitos casus, quemadmodum plerique pagani solent, cum testamenti faciunt perscripserunt, adjicere, velle hoc etiam vice 4 codicillorum valere: quisquam dixerit, si imperfectum sit testamentum, codicillos non esse? nam secundum nostram sententiam etiam divus Marcus rescripsit.

4. Idem, [lib. 1, ad Sabinum.]

Jure militari surdum 5 et mutum testamentum facere posse ante causariam 6 missionem, in numeris manentem, placet.

5. Idem, [lib. 4, ad Sabinum.]

Milites etiam 7 his, qui heredes extiterunt, possunt substituere in his duntaxat, quæ sunt ex testamento eorum consecuti.

6. Idem, [lib. 8, ad Sabinum.]

Si miles unum ex fundo heredem scripserit, creditum, quantum ad residuum patrimonium, intestatus decessisse: miles enim pro 8 parte testatus potest decedere, pro parte intestatus.

7. Idem, [lib. 9, ad Sabinum.]

Qui jure militari testatur, etsi ignoraverit prægnantem uxorem, vel non fuit prægnas, hoc tamen animo fuit, ut vellet quisquis sibi nasceretur exheredem esse: testamentum non rumpitur.

8. MARCELLUS, [lib. 10 Digestorum.]

Idem est, et si adrogaverit filium, neposve successerit in locum filii.

9. ULPIANUS, [lib. 9, ad Sabinum.]

Idemque erit dicendum, et si nato filio, vivo se, maluit eodem testamento durante decedere: nam videtur jure militari recessisse testamentum. — § 1. Ut est rescriptum a divo Pio in eo, qui, cum esset paganus, fecit testamentum, mox militare 9 cepit: nam hoc quoque jure militari incipiet valere, si hoc maluit miles.

10. Idem, lib. 11, ad Sabinum.

Facere testamentum hostium potius nec jure militari potest 10.

11. Idem, lib. 48, ad Edictum.

Ex 11 militari delicto capite damnatis testamentum facere licet super bonis duntaxat 12 castrensibus: sed utrum jure militari, an jure communi, quaeritur? Magis autem est, ut jure militari eis testandum sit: nam cum ei quasi militi tribuatur jus testandi, consequens erit dicere, jure militari ei testandum: quod ita intellegi oportet, si non sacramenti fides rupta sit. — § 1. Si miles incertus 13, an sui juris sit, testamentum fecerit, in ea conditione est testamentum ejus, ut valeat: nam et si incertus, an pater suus vivat, testamentum fecerit, testamentum ejus valet. — § 2. Si filiusfamilias ignorans patrem suum decessisse, de castrensi peculio in militia testatus sit: non pertinebunt ad heredem ejus patris bona, sed sola 14 castrensia.

12. PAPINIANUS, [lib. 6 Responsorum.]

Milites enim ea duntaxat, quæ haberent, scriptis relinquunt.

13. ULPIANUS, [lib. 48, ad Edictum.]

Idem est, et si de testamento mutando cogitavit: non quia adimere volebat castrensia bona heredi scripto, sed quia de paternis testari volebat, et alium heredem scribere. — § 1. Sed si jam veteranus decessit, universa 15 bona etiam paterna ad heredem pertinere castrensi, Marcellus libro undecimo Digestorum scribit. Neque enim jam potuit de parte bonorum testari. — § 2. Et deportati, et fere omnes, qui testamenti factionem non habent 16, a milite heredes institui possunt. Sed si servum pœnae heredem scribat, institutio non valet. Sed si mortis tempore in civitate inveniatur, institutio incipit convalescere, quasi nunc lata hereditate. Et generaliter in omnibus id poterit dici, quos miles scribit heredes, ut institutio incipiat vires habere, si mortis tempore talis inveniatur, ut a milite institui poterit. — § 3. Si servum proprium, quem liberum esse credidisset, miles heredem sine libertate instituit: in ea conditione est, ut institutio non valeat. — § 4. Cum miles in testamento suo servo libertatem dederit, eidemque et a primo et a secundo herede per fideicommissum hereditatem reliquerit: quamvis et primus heres, et substitutus, prius quam adierint hereditatem, mortem obierint, non debere intestati exitum facere, imperator noster cum divo Se-

4. L. ult. § 1, C. de codicill. — 5. § 2, Inst. h. t. — 6. L. 17, C. eod. — 7. L. 6, in fin. C. eod. — 8. L. 11, in fin.; L. 12, L. 19, in pr.; L. 37, infr.; L. 1, L. 2, C. eod.; § 5, Inst. de hered. instit. — L. 19, § 2, infr. de castrensi pecul. — 9. L. 20, § 1, infr. § 4, Inst. h. t. — 10. L. 8, in pr. supr. qui testam. facere poss. — 11. L. 6, § 6, supr. de injust. rupt. iur. iur. iur. testam.: L. 1, infr. de veteran. et milit. success. — 12. L. 15, C. h. t. — 13. L. 9, infr. de jure codicill. — 14. L. 6, supr. h. t. — 15. L. 19, § 2, infr. de castrensi pecul. — 16. L.

vero rescripsit: sed perinde habendum est, ac si eidem servo libertas simul et hereditas directo data esset: quæ utraque ad eum pervenire testatorem voluisse, negari non potest.

14. MÆCIANUS, [lib. 4 Fideicommissorum.]

Tractabatur, an tale aliquid et in paganorum testamentis indulgentum esset? Et placet, non sine distinctione hoc fieri: sed si quidem vivo testatore et sciente decessisset, nihil novi statuendum: si autem ignorante, aut post mortem ejus, omnimodo subveniendum.

15. ULPIANUS, [lib. 48, ad Edictum.]

In fraudem plane creditorum nec miles amplius quam unum necessarium facere poterit. — § 1. Sicut autem hereditatem miles nuda 17 voluntate dare potest, ita et adimere potest. Denique si cancellaverit testamentum suum, vel incidit 18, nullus erit momenti. Si tamen testamentum cancellaverit, et mox valere voluerit, valebit ex suprema voluntate. Et ideo cum miles induxisset testamentum suum, mox anulo suo signasset, qui super ea re cogniturus erit, considerabit, quo proposito id fecerit: nam si mutata 19 voluntatis eum penituisse probabitur, renovatum testamentum intellegitur: quod si ideo, ne ea, quæ scripta fuerint, legi possint, causa irriti facti iudicii potior existimabitur. — § 2. Testamentum ante militiam factum a milite, si in militia decesserit, jure militari valere, si militis voluntas contraria non sit, divus Pius rescripsit. — § 3. Si quis se scribat heredem in testamento militis, non remittitur ei senatusconsulti pœna. — § 4. Miles et ad 20 tempus heredem facere potest, et alium post tempus, vel ex conditione, vel in conditionem. — § 5. Item tam sibi 21, quam filio jure militari testamentum facere potest, et soli filio, tametsi sibi non fecerit: quod testamentum valet, si forte pater, vel in militia, vel intra annum militiae decessit. — § 6. Bonorum possessionem ultra tempora 22 edicto determinata, nec militis posse agnosci, Papinianus libro quartodecimo [Quæstionum scribit], quia generalis est ista determinatio.

16. PAULUS, [lib. 43, ad Edictum.]

Dotalem fundum si legaverit miles, non erit ratum legatum, propter legem Juliam 23.

17. GAIVS, lib. 18, ad Edictum provinciale.

Si certarum rerum heredes instituerit miles, veluti alium urbanorum prædiorum, alium rusticorum, alium cæterarum rerum: valet institutio: perindeque habebitur, atque si sine partibus heredes eos instituisset, resque omnes suas per præceptionem cuique legando distribuisset. — § 1. Julianus etiam ait, si quis alium castrensiarum rerum, alium cæterarum scripserit, quasi duorum hominum duas hereditates intelligi: ut etiam in æs alienum, quod in castris contractum esset, solus is teneatur, qui castrensiarum rerum heres institutus esset; extra castra contracto ære alieno is solus obligetur, qui cæterarum rerum heres scriptus esset. Cui scilicet conveniens videtur respondisse, ut ex quaque causa debeatur militi, vel huic heredi vel illi, ipso jure debeat. Quod si alterutra pars bonorum æri alieno, quod ex ea causa pendebit, non sufficiat, et propter hoc is, qui ex ea parte heres institutus est, non adierit: alterum, qui adisset, compellendum esse aut defendere totam hereditatem; aut totam creditoribus solvere. — § 2. Si eodem testamento miles eundem heredem, deinde exheredem scripserit: adempta videtur hereditas: cum in paganorum testamento sola hereditas exheredatione adimi 24 non possit. — § 3. Si pater a filiofamilias milite ex castrensi peculio heres institutus, ommissa causa testamenti, aliquid ex peculio possidebit, dolove malo fecerit, quominus possideret: datur in eum legatorum actio. — § 4. Si miles testamentum in militia fecerit, codicillos post 25 militiam, et intra annum missionis moriatur: plerisque placet, in codicillis juris civilis regulam spectari debere: quia non sunt a milite facti: nec ad rem pertinere, quod testamento confirmati sunt. Ideoque in his legatis, quæ testamento data sunt, legi Falcidia locum 26 non esse: at in his, quæ codicillis scripta sunt, locum esse.

18. TRAPHONINUS, [lib. 18 Disputationum.]

Si vero composita utraque legata, tam quæ testamento, quam quæ codicillis data sunt, ultra dodrantem sint, quaeritur, quatenus minuatur ea, in quibus Falcidia locum habet? Commodissime autem id statuetur, ut ex universitate bonorum in solidum solutis legatis, quæ testamento miles dederat, id quod supererit, pro dodrante et quadrante dividatur

7, § 1, infr. de legat. 3: L. 5, C. h. t. — 17. L. 1, in fin. pr. supr. eod. — 18. L. 20, in fin. infr. eod. — 19. L. 25, in fin. infr. eod. — 20. L. 19, in fin.; L. 41, in pr. infr.; L. 8, C. eod. — 21. L. 2, § 1, supr. de vulg. et pupill. substat. — 22. § 4, in fin. Inst. de bonor. possess. — 23. L. ult. § 18, C. de rei usor. act. — 24. L. 13, § 1, supr. de liber. et postum. — L. 2, penult. supr. de his, qui in testam. del.: L. 6, in fin. supr. de hered. instit. — 25. L. 17, infr. ad leg. Falcid. — 26. L. 12, C. h. t.; L. 5, § 1, infr. ad SC. Trebell.